

nomine Domini: benediximus vobis de domo Domini &c. Pro eo, quod habetur in Septuaginta Interpretibus, *οὐκ εἶπα εὐχαις ὑμῖν*: id est, o Domine saluum fac: in Hebræo legitur: *וְהוֹדוּ לַיהוָה אֱלֹהֵינוּ*, quod manifestus interpretatus est Symmachus dicens: Obsecro, Domine, saluum fac, obsecro, & Hebræo sermone esse compositum, sed totum Hebraicum: & significare, quod adventus Christi salus Mundi sit: unde & sequitur, Benedictus qui venit in nomine Domini: Salvatore quoque id ipsum in Evangelio significante: Ego veni in nomine Patris mei, & non me recepistis: alius veniet in nomine suo, & recipietis eum. Necnon quod jungitur *Hosanna*, id est, salus in excelsis, perspicue ostenditur, quod adventus Christi, non tantum hominum salus, sed totius Mundi sit, terrena jungens Cælestibus: ut omne genu ei flectatur, Cælestium, terrestrium, & infernorum. Hæc S. Hieronymus. Uno verbo, pia ad Deum supplicatio illa fuit, qua saluum sibi, prosperumque servari Regem novum precabantur: quali dicerent: O Domine, salva quæso: o Domine prospera, quæso. Quod nos acclamando pressius, ac simplicius dicimus, *Vivat Rex*.

In eam acclamationem prorupisse lætentes etiam Hebræorum pueros, & matrum mammis adhuc applicatos, facile adducor, ut credam, non modo D. Chrysostomi, Theophylacti, Euthymii, qui id ipsum non leviter innuunt, suffragiis adductus; verum etiam Christi Domini auctoritate permotus, qui Principes Sacerdotum, & Scribas stupore defixos, querentesque: *Audis quid isti dicunt? compescuit*, repræsentique prolato versu Psalmi oclavi; quo prænuntiatam suam hanc ex ore infantium, & lætentium profectam laudem propter inimicos, aperte professus est.

VII. Superest Triumphi clausula apud Matthæum: *Et cum introisset Jerusalem, commota est universa Civitas dicens: quis est hic? Populi autem dicebant: Hic est Jesus Propheta a Nazareth Galilee. Et intravit Jesus in Templum Dei: & eiciebat omnes vendentes; & ementes in Templo; & mensas Nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit. Quo loco labitur quam turpissime Adricomius in descriptione Terræ Sanctæ, Christum prodigio quodam per portam auream Jerusalem ingressum asserens: tanquam hæc solito clausa esset, & ad Christi adventum per miraculum repente patuisset. Unde enim habuit Adricomius, portam auream vulgo dictam solito clausam fuisse; cum potius Jerusalem a monte Oliveti, & Valle Josaphat subeuntibus, hæc una pateret via?*

Labuntur alii longe gravius, labiturque cum illis Agridenis Abbatissa, qui Christum statim ingressum vendentes, & ementes Templo exegisse, & Nummulariorum mensas evertisse putant: quod ita continuata narratione significare Matthæus videatur. Nec advertunt, id per figuram hyperbaton scriptum esse, inverso Historiæ ordine; studioque brevitate, ejectionem ementium, atque vendentium cum ingressu in Templum fuisse conjunctam; ne factum altera die Christi in Templum ingressum, secundo narrare cogeretur. De cætero tamen Marcus Matthæi brevior, atque Interpres duo hæc aperte distinxit; eamque Negotiatorum ejectionem, nonnisi die altera factam significavit Cap. 11. v. 11. *Introivit Jerusalem in Templum, & circumspexit omnibus, cum jam vespera esset hora, exiit in Bethaniam cum duodecim. Et alia die, cum exiret a Bethania esurivit... & venit Jerusalem: & cum introisset in Templum, cepit eicere vendentes, & ementes in Templo: & mensas Nummulariorum, & cathedras ven-*

*dentium columbas evertit. Ejecit porro de Templo, hoc est, ex atrio Templi: nec enim Negotiatores interiora Templi fuisse putandi sunt. Quod alias quoque fecerat Christus Dominus sub initium Evangelicis Ministerii, dum similiter prope esset Pascha Judæorum, ut est apud Joannem Cap. 20. v. 13.*

Nullo autem excellentiori facinore triumphum claudere potuit, quo supremam in homines potestatem, divinamque virtutem certius ostenderet: Patrum quidem judicio, atque sententia. *Plurique arbitrantur, maximum esse signorum, quod Lazarus suscitatus est: quod cæcus ex utero lumen accepit: quod ad Jordanem vox audita sit Patris: quod transfiguratus in monte gloriam ostendit triumphantis. Mihi inter omnia signa, que fecit, hoc videtur mirabilibus esse, quod unus homo, & in illo tempore contemptibilis, & in tantum vilis, ut postea crucifigeretur, Scribis, & Phariseis contra se servientibus, & videntibus lucra destrui sua; potuerit ad unius flagelli verbera tantam eicere multitudinem, mensasque subvertere, & cathedras confringere, & alia facere, que infinitus non fecisset exercitus. D. Hieronymi verba sunt in Cap. 21. Matth. a Ruperto Abbate excerpta lib. 3: in Joannem, non longe ab initio.*

VIII. Neque illud Mysterio vacare putandum est, quod ad Christi triumphalem ingressum, querentibus Jerusalem Civibus: *quis est hic? populi comitarum facientes, & acclamantes respouderunt, Hic est Jesus Propheta a Nazareth Galilee. Eo quippe responso, non modo ad interrogata satisfecerunt, Jesum Prophetam antonomastice dictum proferentes, a Deo promissum Moysi, Deuteronomii Cap. 18. v. 18. *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, que precepero illi; verum etiam invectam a Scribis, & Phariseis traditionem, nescio quam, falsi convicerunt; qua nihil boni a Nazareth prodire posse dicebant: A Nazareth potest aliquid boni esse? Joannis 1. v. 46. nullumque a Nazareth Prophetam oriturum unquam effutiebant, Joannis 7. v. 52. A Galilee Propheta non surgit. Ex quo enim Jesum hunc tot prodigijs celebrem, tot portentis illustrem a Nazareth Galilee, ubi & conceptus, & educatus fuerat, prodigijs significabant; malignam traditionem calumniam revincebant. Tameñ veterum Prophetarum exempla, Debora; scilicet, de Tribu Nephtali, Nahum Elcefeite, Anna; de Tribu Azer, ad stultam calumniam retundendam, satis essent.**

IX. Totam hanc Christi Domini, triumphantis in speciem Jerusalem subeuntis Historiam, egregia observatione concludit Agridenis Abbatissa; *Triumphus ille demonibus suspicionem injectit, triumphatorem verum esse Messiam mortalibus adpromissum. Quare statuit luciferus, non ultra illi mortem aspicere, sed modis omnibus prohibere; ne morte illa imperium ejus evertetur. Idcirco Jude conspiciens factus, eundem ab initio cum Phariseis pacto, de tradendo illis Domino, avocare tentavit; oblata etiam illi pecunia, ne in suscepto consilio per aversionem staret. Cumque id frustra tentasset, Judæis in consilium coactis suavit, ne eum in die festo occiderent, ne tumultus in populo fieret. Quod ut minus ex nusu successit, Pilati uxorem induxit, ut maritum a ferenda in Christum mortis sententia avocaret. Quin etiam ne mortis sententiam diceret, Præsidentem exstimulavit. Hæc illa in vitæ compendio, & de Christi ingressu Jerusalem. O futilem mentis exerrationem! Peracto Jerusalem Christi triumpho, Judam a tradendo Judæis Domino diabolus avocare tentavit; qui potius, ut Dominum traderet, instigator illi astitit, & impulsor, fu-*

suprema Cæna peracta? *Et Cæna facta, inquit Joannes Cap. 13. v. 2. cum diabolus jam misisset in cor ut traderet cum Judas Simonem Iscariota. Aut etiam quæ Judæis in Consilium coactis mens indita est, (ut ne in die festo Christus occideretur) a diabolo eo fine fit inspirata, ut Christi mors impediatur: quæ contra, ut securius ac tutius occideretur, suggesta illis inspirataque mens fuit? Providentibus enim ne in die sancto tumultus oriretur, non festivitati, sed facinori studebatur; monebantque non ut populus non peccaret, sed ne Christus evaderet: inquit Leo magnus Serm. 7. de passione Domini. Tantumque abest ut a diabolo impulsus instigatore sit Præsidentis uxor, ut eum a ferenda in Christum mortis sententia deterreret, dum ad illum mittens dixit: *Nihil tibi, & justo illi; multa enim passa sum hodie per visum propter illum: ut potius divino tunc Spiritu peculiariter acta fit, & a sanctis Angelis concitata: si qua summo Ecclesiæ Patribus fides est, Origeni, Hieronymo, Hilario, Chrylostomo, Theophylacto, Euthymio, in suis ad Caput Matthæi 27. Homiliis & Commentariis, Augustino Serm. 121. de Tempore, Ambrosio lib. 10. in Lucam, aliisque posterioris ævi Scripturarum Interpretibus; quibus pauculi admodum, iique inferioris subseculi refragantur. Quod idem ferme de ipso Pilato Præsidente dicendum, ex Patrum quidem opinione atque sententia. Divini scilicet fuisse astutus, non diabolice suggestionis, quod Christum semel iterumque pronunciataverit innocentem: *Quid enim mali fecit... Innocens ego sum a sanguine justis hujus... Ego nullam inveni in eo causam. Quam ob rem Pilatum pro sua conscientia Christianum vocat Terullianus in Apologetico: hoc est, bene in Christum affectum atque propensum; ex quadam æquitate ac justitiæ sensu; qui ut interim bonus erat ac reus, ita a Deo, non a demone creditur inspiratus: Dæmonisque duntaxat instigatori tribuendum est, quod suum illud de Christo iudicium subinde reliquerit Præsides; & in Judæorum de Christo cruci assignando voluntatem, tandem aliquando consenserit.***

## EXERCITATIO LI.

## De ultime Cæne celebratione.

I. DE ultimæ Cæne a Christo Domino peractæ celebratione hodierna prælectione, dum loquimur, nullus nobis est animus, eas quæstiones attingere, quæ ad Tractationem de Eucharistiæ Sacramento ea in Cæna instituto intimæ attinent, ne faciem in messem alienam videamur immittere. Sed intra eos limites nos unice continebimus, quos suscepta Tractatio de Mysteriis Christi inter homines conversantis nobis præscribere visa est. Ut nimirum de quatuor duntaxat Cæne hujus occasione disputemus; puta de die celebrationis illius, de Commensalibus, de loco, ac de modo Cæne peractæ. Quibus explicatis, nihil ultra nobis reliquum erit.

II. Primam, potissimamque de die peractæ Cæne Questionem celebrem fecit Ecclesiæ Græcæ a Latina discipulo. Cum enim consentiant universi, Christum ea ultima Cæna Eucharistiæ Sacramento instituisse, ac in illo ipso pane consecisse, quem tunc cenando in usum adhibuit; Græci, ut ritum suum, quo celebrant in fermentato, Christi Domini exemplo confirmant, toto pectore, animoque contendunt, Christum mortis sue præscium, quæ illi die ipso Paschatis infensa erat, Paschatis celebrationem antevertisse; seu ante diem ex Lege præscriptam, Pascha Ju-

daicum celebrasse: verbis videlicet freti Joannis Cap. 13. v. 1. *Ante diem festum Pascha sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc Mundo ad Patrem, cum dilexisset eos, qui erant in Mundo, in finem dilexit eos. Et Cæna facta &c. Hincque colligere sibi putant, Christum non in Azimo, sed in fermentato pane celebrasse: cum usus Azimorum a Paschate tantum inciperet, quæ ob id ipsum primis diebus Azimorum dicebatur.*

Non est hic animus, ut præmonui, de licito, aut illicito fermentati, aut azimi usu disputare. Dicam tamen obiter, Græcos nihil propterea confesturos, etsi quod summo studio adstruere fatagant, ultra illis citroque concederemus. Si etenim Christum mortis suæ præscium Paschatis celebrationem antecoccupasset, pari quoque ratione Azimorum comestionem antevertisset: cum hæc ipsa Paschalis ritus pars magna esset; nec nisi cum panibus azimis Agnus Paschalis comedendus esset. Liqueat id exemplo disertissimo: si cui enim forte fortuna contingeret, Paschatis celebrationem differre in mensem alterum, in mensem quoque alteram Azimorum comestionem differerebat; ut nonnisi cum Azimis Pascha comederet. Disertissima Legis verba sunt Numerorum Cap. 9. v. 10. *Homo, qui fuerit immundus super anima, sive in via procul in gente vestra, faciet Pascha Domino in mense secundo, quatuordecima die mensis ad vesperam: cum azimis, & lactucis agrisibus comedent illud. Si ergo Christus vice versa Paschatis celebrationem præoccupasset, Azimorum quoque comestionem prævertisset. Atque ita, quidquid rei fuerit, Christus in Azimo celebrasse convincitur.*

III. Sed & hoc ipsum falsum omnino est, quod tanto ardore Græci contendunt: putantque nonnulli intra Ecclesiam catholicam recentiores, (alio licet fine atque consilio) de quibus plenus in sequenti dicemus. Certoque certius est, Christum Dominum Paschatis celebrationem nequaquam antevertisse; sed hæc ipsa die celebrasse, qua Judæi ipsimet celebrant, quæque ex Legis præscripto definita erat: nempe Luna 14. primi Mensis ad secundam vesperam, quæ est prima vespera Luna 15. ut habetur Levitici Cap. 23. v. 5. & 6. *Mense primo quatuordecima die mensis ad vesperam Pascha Domini est: & quatuordecima die mensis hujus solemnitas Azimorum Domini est: septem diebus azima comeditis. Quod idem pariter legitur Numerorum Cap. 28. v. 16.*

In hoc plane conveniunt tres Evangeliorum Scriptores, qui Christi Discipulos hac ipsa die Azimorum Pascha manducandum eidem præparasse ferunt; non diem ipsam præoccupasse. Matthæus Cap. 26. *Prima autem die Azimorum accesserunt Discipuli ad Jesum dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha? Marcus Cap. 14. Primo die Azimorum, quando Pascha immolabatur, dicunt ei Discipuli: Quo vis eamus, & paremus tibi, ut manduces Pascha? Lucas Cap. 22. Venit autem dies Azimorum, in qua necesse erat occidi Pascha, & misit Petrum, & Joannem dicens: Euntes parate nobis Pascha, ut manducemus. Quæ certe Apoltolorum delegato, si cuncta recte componimus, facta est, Luna 14. cadente, hora post meridiem circiter tertia; fer Luna 15. primaque Azimorum die infra tres circiter horas oritura: tunc enim Pascha solum erat immolari. Factaque idcirco dicitur prima Azimorum die, scilicet adveniente ac proxime subeunte, ut in hujusmodi loqui mos est: aut quia, Autore Josepho lib. 2. Antiquitatum Cap. 5. postremæ hora Luna decimæ quartæ, eo quoque primæ Azimorum diei nomine vocabantur; quod jam tunc Agnus*

inciperet immolari. Quid itaque ob verba Joannis subobscura, quæque facile in eundem etiam sensum flecti possunt, lucidissima, disertissimaque Matthæi, Marci, & Lucæ testimonia posthabeamus, debitumque Paschatis diem præoccupatum obtendamus? Eo vel maxime, quod nulla Christo Domino ratio esse posset, præscriptam a Lege celebrandi Paschatis diem antevertendi. Ponamus enim, Christum mortis suæ præscium dignovisse, non posse se Judaicum Pascha præfinito tempore celebrare; nulla ei celebrandi necessitas incumbere: cum necdum tunc præceptum urgeret, quod ea duntaxat statuta die obligabat. Et quidem ex Lege statutum erat, Numer. Cap. 9. v. 10. ut si quis legali aliqua immunditia impeditus, aut procul a gente sua positus, mense primo Pascha celebrare non posset, celebrationem differret in mensem alterum: at nusquam statutum erat, ut qui præscripta Paschatis die se crederet moriturum, celebrationem Paschatis anteverteret. Quanta enim dubitatione, & hæsitacione Judæorum animi æstuarent, si quod hujusmodi mandatum extitisset? Sed & ex ipso Evangelii textu perspectum est, Apostolos sponte sua Christum Dominum de celebrando hac ipsa die Paschate compellasse: Matth. Cap. 26. *Prima die Azimorum accesserunt Discipuli ad Jesum dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* antequam ullam mortis hac ipsa festa die illi inferendæ notitiam haberent: id enim inter cœnandum dumtaxat illis aperuit, fore scilicet, ut hac ipsa nocte traderetur ad mortem. Non itaque instantis mortis occasio ad præmaturam Paschatis celebrationem adduxit.

Huc adde, Christum una cum Discipulis Pascha Judaicum celebrasse. Si itaque celebrationis diem anteverit ille, si quoque cum eo anteverterunt. Ecquæ vero illis antevertendi ratio fingi potest? Neque enim ipso die Paschatis præsciebantur cum Domino morituri, qui re ipsa mortui cum illo non sunt. Si autem Christus, ut erat Legis Dominus, ita sibi faciendum existimavit, altiori ratione ductus, atque consilio; solitamque Paschatis diem præter legem, & instituta Majorum pro nutu, atque arbitrio antecepit; annon inde Judæi offensionem passi essent, & instaurandæ in illum criminationis occasionem arripissent, cum illos res ipsa latere non posset? Quicquid de violatis per Discipulos ejus vel inanibus, futilibusque traditionibus sæpius querebantur; ut quod illotis manibus manducarent; quomodo de violato solemniter capitali mandato tacuissent? Quo jure etiam, quæve audacia paterfamilias, ad quem Christus Discipulos miserat, Pascha apud ipsum manducandum paratos, cœnaculum suum ad illud die non legitima peragendum præbuisset; hancque ipsam Legis violationem apud Judæorum Principes excusasset?

Quid plura? Cum Agnus Paschalis mactandus esset in Templo; nec comedi omnino posset, nisi sanguine ejus ad Altare a Sacerdotibus sparso, & adipe combusto: Deuter. 16. v. 5. *Non poteris immolare Phæse, in qualibet urbium tuarum, sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi.* (id enim de Agno Paschali a Sacerdotibus immolando in Templo, quo ex tempore a Salomone structum fuit, intelligendum ostendit Nicolaus Serrarius lib. 4. in Cap. 5. Josue, quæst. 22.) si Christus Paschatis comestionem antevertisset; certe aut Agnum non immolatum comedisset, adeoque Legis Mosaicæ summam violasset; imo ne Pascha quidem comeditæ putandus esset: aut Agni Paschalis immolationem ad Christi gratiam Sacerdotes anteoccupassent: quod quis credat? Summum quippe, ac publicum nefas erat, Pascha non justo tempore

& loco mactare: quo se crimine implicare voluisse Sacerdotes, ut Christo, quem summe odebant, rem gratam facerent, non est verisimile.

His adjuget unanimum Sanctorum Patrum, non modo Latinorum, sed & Græcorum assensum, Christum statuta, ac definita per Moysen die, Pascha Judaicum celebrasse, firmiter asserentium: quibus primus omnium, quod sciam, refragatus est Euthymius Zigaberus Monachus duodecimo seculo ineunte, in Commentariis in Matthæum; novamque, ut Græcis Schismaticis suffragaretur, viam aperuit. Certe in ea prægravi controversia, de certo celebrandi Christiani Paschatis die, quæ a secundo Christiani nominis seculo, universam Ecclesiam per annos amplius trecentos exercuit; Asiaticis Luna 14. Martii una cum Judæis celebrandum contententibus, & Christi exemplo sententiam tuentibus: nullus Sanctorum Patrum, ac Romanorum Pontificum inventus est unquam, qui Christum Luna 14. cum Judæis re ipsa celebrasse negaverit, speciosumque illud Asiaticorum fundamentum falsi convicerit: sed aliis longe quæsitis momentis Quartodecimanos impugnavit. Adeo scilicet in universa Ecclesia illud certum, indubitatumque habebatur, Christum Luna 14. ad secundam vespem, una cum Judæis Pascha Judaicum celebrasse. Alias tam expeditam diruendi præcipui Quartodecimanos fundamenti viam minime neglexissent.

IV. At ecce ad disertam luculentamque trium Evangelistarum testificationem eludendam, repouunt aliqui: ex præscripto quidem Mosaicæ legis, primam Azimorum diem, illam solam esse dictam, quæ ad secundas Vesperas Luna 14. seu ad primas Vesperas Luna 15. ducit exordium, ut est in Levitico Cap. 23. v. 5. *Mense primo, quarta decima die mensis ad Vesperam, Pascha Domini est: & quinta decima die mensis hujus, solennitas Azimorum Domini est: septem diebus Azima comedetis.* Christi tamen ætate morem invaluisse, ut tota Luna 14. dies quoque Azimorum prima diceretur; quod in illa quæreretur ejicere- turque fermentum, & Azima pararentur. Evangeliorum vero Scriptores, relicta legis lingua, novaque loquendi formula usurpata, de ea quarta decima die ineunte dixisse, *Christum prima Azimorum die Discipulos Cœnam paraturos delegasse*: atque ita præscriptam ex lege primam Azimorum diem, ad Cœnam edendam, anteoccupasse. Quod ne pro arbitrio fictum videatur, Josephum nobis obtrudunt, qui lib. 2. Antiquitatum Cap. 5. Azimorum dies agnoscit; non alia certe de causa, quam quod ætate sua eo quoque numero censeretur dies tota Luna decima quartæ: alias enim ex legis præscripto septem duntaxat præfiguntur: *Septem diebus Azima comedetis.*

Verum est hoc purum putumque commentum, ad suffugium excogitatum. Nusquam enim ætate Christi, ac deinceps usus invaluit, ut tota Luna 14. prima Azimorum dies diceretur, atque ita octo Azimorum dies computarentur. Josephus quippe, cujus suffragio perperam abutuntur, Paschatis ritum, qualis ætate sua servabatur, describens lib. 3. Antiq. Cap. 10. decimam quintam Luna diem, Azimorum festivitatis primam diem appellat; decimam sextam illius, secundam istius; nec nisi septem Azimorum dies agnoscit. *Mense Xanthico, qui nostris Nisan vocatur, & annum exorditur, Luna quarta decima, sole arietem obrinente, (quandoquidem hoc mense ab Ægyptiaca servitute liberati sumus) sacrificium quod tunc exequentes fecisse diximus, Pascha nominatum, quotannis instaurare lego jubemur: celebramusque id per sodalitates, nihil e vicinis in sequentem diem relinquentes, quæ est quinta decima, & Azimorum festivitatis prima.*

Nam

*Nam hoc festum priori continenter succedit, duratque dies septem, per quas panibus non fermentatis vescuntur. . . . Secunda Azimorum die, quæ est mensis hujus decima sexta, frugibus demestis, & baccis intactis incipiunt frui, &c. Quod idem paucis verbis habet Philo Judæus lib. de festivitibus Judæorum: quinta decima mensis die, festum Azimorum initium capere iniquens, idemque diebus septem perdurare. Non itaque Luna tota 14. prima Azimorum dies vocabatur ætate illa; aut plures quam septem Azimorum dies censebantur. Sicubi ergo Josephus octo dies Azimorum distincte videtur; non festivos numeravit, sed naturales; primumque per Synecdochen computavit; partem pro toto sumens. Quatenus scilicet prima Azimorum festiva dies, a Vesperis de more incipiens, postremas diei decimæ quartæ horas obtinebat; quas pro una naturali die Josephus per Synecdochen computavit. Id ni dicamus secum ipse pugnantem Scriptor Clarissimum.*

Sed neque novæ hujus appellationis inducendæ conficta ratio quidquam valet. Quid enim, quod tota Luna 14. quæreretur fermentum e domibus ejiciendum, & Azima pararentur, ut idcirco Azimorum prima dies diceretur, cum fermentum nihilominus tota ferme die illa ederetur; nec nisi incumbente Vespera ejiceretur. Nec enim ab Azimorum præparatione, sed ab illorum esu, Azimorum dies soliti sunt appellari.

Quamquam quid opus est verbis, ut somniarum commentum reseclamus, quæsitumque effugium occupemus? Demus quod temere commentum sunt; totam Lunam 14. inducitur in vulgus more, primam Azimorum diem fuisse tunc temporis nuncupatam: non ideo tamen effugient, nec diserta que protulimus Evangeliorum testimonia declinant. Cum alias exploratissimum sit, Sacros Scriptores, non relicta, ut fingitur, Mosaicæ legis lingua, novam loquendi formulam usurpasse; sed contra potius, relicta nova loquendi formula, legis linguam omnino tenuisse. Ajunt quippe, Christum Discipulos Pascha manducandum paraturos misisse, *prima die Azimorum, quando Pascha immolatur Judæi. . . . In qua necesse erat occidi Pascha.* Ea porro dies qua Pascha occidebatur & immolabatur, non erat decima quarta Luna incipiens; qua Christum Pascha celebrasse volunt, qui illum diem integram antevertisse comminiscuntur; sed Luna erat 14. jam desinens, seu decima quinta initium sumens. Duabus enim aut tribus ad summum horis Agni mactatio, ejusdem & Azimorum esum antecedeat; qui decima quinta Luna præscriptus est, Levitico 23. v. 6. *Quinta decima die mensis hujus solennitas Azimorum Domini est.* Stat ergo, quocumque se vertat nunguendi, quod ex Evangelicis petitur argumentum. Cui & certa Patrum traditio, & gravia rationum allata momenta ex abundantia suffragantur: ut Christum præscripto ex lege die, Pascha celebrasse, certissimum sit.

V. Quæ cum ita sint, recitatum supra Joannis Evangelii dictum, *ante diem festum Pasche*, quod potissimum novi systematis fundamentum est, ita accipere oportet; ut nihil a Matthæo, Marco, & Luca dissideat: ac ne Christus celebrationem Paschatis antevertisse existimetur. Quod ut comode fiat, observare necesse est, apud Judæos olim, uti & nunc apud Christianos, alios fuisse dies sacros celebrandis solennitatibus dedicatos; alios naturales ex nature lege distinctos: alios demum artificiales faciendo quotidiano operi destinatos. Dies sacri a vespere ad vespem, uti nunc in Ecclesia Catholica, ducebantur: Levitico Cap. 23. v. 32. *A vespere ad vespem celebrabitis sabbatha vestra:* hoc est, solennitates vestras:

Serry Tom. III.

ea quippe sabbatha etiam vocabantur. Dies naturales a media nocte incipiebant, & ad aliam mediam noctem definebant. Dies artificiales ab aurora ad auroram. Cuiusque autem diei duplex pars distinguebatur; nocturna scilicet, & diurna. Pars nocturna in quatuor vigiliis dividebatur, a solis occasu ad solis ortum: quarum quælibet ternas horas complectebatur. Pars diurna in quatuor majores horas dividebatur, primam, tertiam, sextam, & nonam: quarum quælibet horis etiam ternis coalescebat. Erantque præ cæteris notatæ ac celebratæ, quod tunc oratio solennis in Templo solet fieri. Prima incipiebat ab ortu Solis, durabatque tres horas; quibus finitis, incipiebat tertia, quæ & totidem horis durabat, scilicet usque ad Meridiem. A Meridie sexta hora inchoabatur, & tribus post Meridiem horis fiebat: tum incipiebat hora nona, durabatque usque ad vespem, unde noctis vigilia ducebat exordium. Quia vero pro varia anni temperate dies, noctesque magis, minusve, aut arctantur, aut producantur; idcirco Hieme vigiliarum horæ longiores erant, diurnæ arctiores: contra vero Æstate longiores erant horæ diurnæ, arctiores vero nocturnæ: nunquam tamen numero plures, paucioresve censebantur. Romanorum tamen quibus parebant, secuti morem, minores interdum horas, quibus quatuor illæ majores coalescebant, distincte numerabant: unde est illud Joannis 11. *Nonne duodecim horæ diei sunt?* Et Joannis 11. *Erat autem hora quasi decima.* Et Joannis 4. *Heri hora septima reliquit eum febris.* Et Matth. 20. *circa undecimam horam exiit.* Sic ergo, ut ad rem ipsam, de qua nunc agitur, accedamus, Christus Dominus Cœnam Paschalem egit juxta Joannem, *ante diem naturalem Paschæ, a media nocte incipientem: ante diem pariter artificialem Paschæ, ab aurora initium habentem: non autem ante diem sacrum, qui a priori vespere ducebat exordium: sed hoc ipso die sacro jam inchoato, seu cœpta jam Azimorum die, ut alii Evangelistæ tres attestantur. En tibi solum ænigma, quin novum idcirco systema comminisci necesse sit, quod cum Matthæi, Marci, & Lucæ narrationibus conciliari nulla ratione potest.*

Ejusdem ænigmatis solutionem aliam alii profecerunt: qui Joannem de die ipso sacro ita locutum concedunt; ut tamen ea voce, quæ in Græco Textu extat, *πρὸ τοῦ ἡμετέριου ἡμέρας*, hoc est, *pridie Paschæ*, primam diei sacri Paschatis partem intellexerit: & *πρὸ τοῦ ἡμετέριου* posuerit dilectus Apostolus, pro *πρὸ τοῦ ἡμετέριου*, quod nimirum ita festum præcedit, ut tamen sit festi pars, videlicet prior: quemadmodum *πρὸ τοῦ* pas est orationis, *πρὸ τοῦ* par domus, *πρὸ τοῦ* pars urbis, *πρὸ τοῦ* pars muri. Quare quæ in ipso festi exordio contingere, haud incongrue Græca phrasi evenisse sunt dicta *πρὸ τοῦ ἡμετέριου*.

Priori tamen solutioni standum arbitror. Quæ etiam feliciter expeditur altera difficultas, ex altero Joannis loco petita, capite scilicet 13. v. 19. ubi observat dilectus Apostolus, discumbentium aliquos, audito Christi Domini verbo, inter cœnandum, ad proditorum Discipulum habito, *quod facis fac citius*, simpliciter existimasse, id sibi voluisse Christum, *Eme ea que opus sunt nobis, ad diem festum.* Unde colligitur Græci, nondum fuisse tunc diem festum, dum hæc diceret Christus Dominus: atque ita definitam ex lege comestionis diem antevertisse. Quæ sane spuria Consecutio est. Cum enim, inchoato a prima vespere solenni & sacro Paschatis die, nondum esset naturalis dies inceptus, Christus de emendis, ad diem illum naturale tranfgendum, necessarii cibus locutum, existimare Apostoli poterunt.

Nec est cur ultra quis urgeat : ne id quidem potuisset illos existimare, si vel ipsa solennis & sacra Paschalis dies fuisset incepta : quod tota illa sacra die, nihil Judæis liceret emere. Egregie vero ! Imo ipsa prima Paschalis die, uti & septima, tamen omnium solennissimæ haberentur, quæcumque ad cibos necessario pertinerent, apparere fas erat : Exodi 12. v. 16. *Nihil operis facietis in eis, exceptis his, quæ ad vescendum pertinent.* Quid ni quoque dicamus, Apostolos illos locutum Christum existimasse, de his emendis, quibus Deum in die festo colere possent, ut explicat D. Thomas Lect. 5. in Caput 13. Joannis : quæ citra dubium ipso etiam festo die emi poterant : quemadmodum & Joseph Arimathæus *Sindonem* ipso Paschalis die *mercatus* dicitur, Marci 15. v. 46. qua Christi extincti corpus obvolveret, conderetque. Rideo enim quotquot id Judæis illicitum arbitrantur : indeque argumentum invictum peti putant, ut Christum in Paschate Cruci suffixum inficiantur ; quod hæc ipsa qua suffixus est die, sindonem ad pium opus emerit Joseph. Nugæ profecto, nugæ, æque vanissimæ ! Nihil quippe vetabat, hujusmodi quidpiam, ad pietatis officium præsertim implendum, prima Paschalis die coemere ; est fortasse in Sabbato minime licuisset. Quocirca eruditus Liranus, ex Judæo Christianus, ad Caput 16. Marci sapienter observat : religiofas mulieres, ab emendis aromatibus, quibus Christi Domini Corpus tumulo datum inungerent, tota Sabbathi die abstinuisse ; quia ea non licebat die, quod prima Paschalis die licuisset, si forte fuisset tunc illis opus. Errantque turpissime, qui patrem Paschalis, & Sabbathi religionem, in capienda quiete, fuisse putant. Hinc Cæsar Augustus, referente Josepho lib. 16. Antiquitatum Cap. 10. Judæorum quieti consulens, edicto vetuit, ne ad præstandum vadimonium Sabbato cogerentur : nihil tamen de Paschate, aliisve illorum solennitatibus decernens : decreturus haud dubie, si pari illos quieti indulgere, in iis solennitatibus, intellexisset. Si quid autem aliter Rabini didicant, ad suam solennitatem religionem ambitiosius exaggerandam, putidi mendacii convinctur.

Non omiserim, Momentum hoc, de empta in Paschate sacra sindone, uti & alterum, de curata in Paschate Christi Domini sepultura, in quibus adversæ sententiæ vindices delicias faciunt, illis perinde esse solvenda : cum perinde in illorum systemate constet, utrumque opus, in Paschalis solennitate fuisse perfectum. Est enim nondum, ( ut illi quidem autumant ) Azimorum solennitas initium cepissent, dum & empta sindonem, & Christus tumulo datus est ; Paschalis tamen solennitas, ut simpliciter Paschalis est, coepta erat. Hæc enim non ab Agni & Azimorum manducatione sumebat exordium, uti solennitas Azimorum, sole nimirum occiduo ; sed ab Agni immolatione, quæ aliquanto antea ; hora scilicet post meridiem tertia, soleque ad occasum duntaxat inclinante, petebat initium : qua utique hora, ut pote nona diei, Christus emiserat spiritum. Quare quocumque res cadat, in solennitate Paschali, & sindonem emptam, & curatam Christi D. Sepulturam concedere compelluntur. Sed de his plura, Num. IX.

VI. Æqua facilitate diluitur momentum alterum, in hunc ferme modum efferi solitum a Græcis, ut Christum Paschalis manducationem anteccepisset demonstrarent. Qua die, inquit illi, Christus a Judæis ductus est in Prætorium judicandus a Pilato, atque damandus, Agnus Paschalis a Judæis comedendus erat : Judæi enim, ut Joannes observat, Cap. 18. v. 28. *non introierunt*

*in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha :* at Christus vesperæ præcedenti Coenam paschalem manducaverat, ut ex Evangelii narratione competenter est : solum itaque manducationis diem atteriverit. Totum id, tamen a nonnullis altius exaggeratum, futile est, & inane. Falsum enim est, Agnum Paschalem a Judæis edendum fuisse, qua die Christus ab eis ductus est in Prætorium ; cum potius ab eis vesperæ præcedenti comestus esset : Quod vero a Joanne observatum est, eos in Prætorium non introisse, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha ; non de ipsomet Agno Paschali comedendo venit intelligendum, sed de aliis cibis Paschalibus ; mastris scilicet victimis, de bobus, & ovibus, de quibus sermo est Cap. 16. Deuteronomio. v. 2. quibus per dies septem vescerantur ; qui eo perinde Pasche nomine vocabantur ; nec nisi a Judæis omnino mundis poterant manducari. Quare veriti Judæi Christum circumducentes, ne, si in viri gentilis, atque ita prophani, domum ingrederentur, immundi fierent, etique ciborum Paschalium prohiberentur ; Jesum quidem in Prætorium Pilati submiserunt, non ipsi tamen introierunt.

Imo ex illis ipsis objectis Joannis verbis invictè profus ostendo, de immolatione, & manducatione Agni Paschalis sermonem illic esse non posse. De eo quippe Paschate sermo illic est, a cujus immolatione, & manducatione Judæi prohibiti fuissent, si forte ex ingressu in Prætorium legale immunditiam contraxissent : at ubi major Sacerdotum, ac populi pars immunditiam legalem aliquo casu contraheret, non propterea Judæi ab immolatione, & manducatione Agni Paschalis prohiberentur ; propterea quod hæc necessitas esset, atque præcepti, deberetque definito tempore fieri : ( quamquam si paucorum privatorum immunditia esset, ii Agni Paschalis immolationem, & comestionem transferrent in mensam alteram : ) non itaque de immolatione, & manducatione Agni Paschalis sermo illic est ; sed de manducatione aliorum ciborum immolatorum, quæ paræ necessitatis non erat, neque præcepti : quæ tamen ab immundis edi non poterant. Licet autem totum ex Judæorum Misna, Tractatu *Temura* Cap. 2. *In totius populi Sacrificiis offerendis non attendebatur, si forte major Sacerdotum, aut populi pars esset immunda : sed nec propter hoc omittitur : quia hujusmodi Sacrificia determinatum tempus habebant ; quo elapso, nulla amplius erat offerendi opportunitas.* Et Tractatu de Paschate Cap. 7. *Quinque species erant publicorum Sacrificiorum, quæ perinde offeruntur ab immundis, dummodo publica esset immunditia, nempe majoris partis populi, vel Sacerdotum.* Quo numero primo loco ponitur Agni Paschalis immolatio. Unde paucis interjectis additur : *Agnus Paschalis immolabatur etiam cum immunditia, modo tamen majoris partis immunditia esset. Dum enim privati pauculi immundi erant, ii Agni Paschalis immolationem in mensam alteram differrebat.* Paschalis itaque nomine, quod ut manducare Judæi possent, ab ingressu in Prætorium abstinuerunt, Agnum Paschalem a Joanne fuisse intellectum, impossibile est : cum & hunc, immundi licet, manducare potuissent : sed ut ut maxime reliquas victimas, toto Paschali septiduo solitas manducari.

VII. Reclamant, fateor, nec sine stomacho, Josephus Scaliger, Ludovicus Capellus, alique nonnulli ; qui reliquas dierum illorum victimas, quibus Judæi toto septiduo vescerantur, nusquam Sacris in litteris Paschalis nomine appellatas fuisse contendunt ; idque nominis foli Agno Paschali signi-

significando fuisse sacrum. At nauseantis stomachi fastidium solvet Cap. 16. Deuteronomii, si diligenter observetur. Ecce enim v. 2. in Vulgata nostra legitur : *Immolabis Pascha* ( hoc est Pascha ) *Domino Deo tuo, de ovibus, & de bobus in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus.* Cui congruit Textus Syriacus : *Mastra igitur Pascha Domino Deo tuo ex ovibus, & ex bobus &c.* Arabicus patet : *Mastra autem Pascha Deo Domino tuo de ovibus, & una cum eo de bobus &c.* Chaldaica quoque Paraphrasis Onchelosi : *Immolabis Pascham Domino Deo tuo de ovibus, & Victimam sanctificationem de bobus.* Ubi certe *Pascha*, seu *Paschalis* nomen generalis appellatio est, qua & oves, & boves in solennitate Paschali mastrandi, & septiduo illo manducandi significantur. Sed est hunc ipsum Deuteronomii locum eo legeremus modo, quo Protestantibus Hebraicæ locutionis tenaciores legere malunt, *Mastrabis Pascha Domino Deo tuo, oves, & boves ;* idem perinde colligeremus : Paschalis scilicet nomen ovibus, & bobus perinde datum, qui in ea quoque solennitate mastrandantur. In hac enim propositione, *Mastra* generale veluti nomen est, cui oves, & boves ea in occasione mastrandi, tamquam species subjiciuntur : non aliud est Pascha, aliud oves, & boves. Uti plane dum lib. I. Paralipomenon Cap. 29. v. 2. dicitur, *Obulerunt holocausta die sequenti, taurus mille, arietum centum viginti milia ;* priori profecto *holocausti* nomine, tamquam generali appellatione comprehenduntur, quæ subinde peculiaribus suis nominibus designantur. Et II. Paralip. Cap. 7. v. 5. dum dicitur, *Mastravit Salomon Rex holias, boum, arietum centum viginti milia ;* generali *holiarum* nomine boves, & arietes tanquam subiectæ species designantur : non aliud hostiæ suat, aliud arietes, bovesque mastrati.

Confirmat hoc idem multo magis vericulus 3. ejusdem Capituli 16. Deuteronomii cum secundo conjunctus, in Textu Hebraico, Samaritano, Syriaco, ac etiam in Verbone septuaginta Interpretum : *Pasche* scilicet nomine perinde vocari quasdam victimas, quæ Paschali septiduo a Judæis comedebantur. Sic enim Textus Hebraicus ad amissum : *Sanctificabis Pascha Domino Deo tuo, ovem, & bovem in loco, quem elegerit Dominus, ad habitare faciendum nomen suum tibi. Non comedetis super eo fermentatum : septem diebus comedetis super eo fermentatum, panem afflictionis.* Sic Hebræo-Samaritanus : *Sanctificabis autem Pascha Domino Deo tuo, oves, & boves in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitaret tibi nomen ejus. Non comedetis cum eo fermentum : septem diebus comedetis cum eo azima, panem afflictionis.* Ita Syriacus : *Mastra igitur Pascha Domino Deo tuo, ex ovibus, & ex bobus &c. ne comedas cum eo fermentatum : sed septem diebus comede cum eo azimum, panem humilem.* Ita demum Septuaginta Interpretes : *Immolabis Pascha Domino Deo tuo, oves, & boves in loco, &c. Non comedes fermentatum super illud : septem diebus comedes super illud Azima panem afflictionis.* Ex quibus invictum istud argumentum elicio, nulla unquam cavillatione eludendum. Id cum quo, & super quod, per septiduum comedendi præcipiuntur panes azimi, *Pascha* disertissime dicitur : At per septiduum panes azimi cum victimis de bobus, & ovibus comeduntur, non cum Agno Paschali : Agnus enim Paschalis sola prima Azimorum, vespera, seu nocte totus erat comedendus ; ac siquid illius supererat, ante auroram comburendum erat, Exodi 12. v. 10. Victimæ igitur de bobus, & ovibus, *Pascha* quoque eo loci vocantur a Moysè : ut propterea de his a Joanne merito dictum sit, *Judæi non introierunt in Prætorium, ut non conta-*

*minarentur, sed ut manducarent Pascha :* hoc est, non introierunt in domum Prætoris viri gentilis, atque ita prophani, ne immundi ex Lege fierent ; neve ea de causa, esu victimarum Paschalium prohiberentur. Quamquam aliunde nil dubitandum, Agnum potissimum illius solennitatis victimam primo omnium loco, an fanciori ritui edendam, Paschalis nomine frequentius sacris in Litteris designari : imo præcipuum esse *Pascha*, propter quod etiam cætera victimæ *Pascha* dicuntur.

VIII. Levioris longe momenti est, quod ex Capite 19. Joannis v. 14. a multis obijcitur : Christum mortuum dici in *Parasceve Pasche* ; hoc est, ut ipsi quidem interpretantur, qua die Judæi sua omnia ad Paschalis celebrationem præparabant : id enim *Parasceve* nomine significatum arbitrantur, quod præparationem Græce sonat. Præpostera quippe interpretatio illa est, ex qua profecto consequens esset, Christum ante præfinitam diem Pascha cum Discipulis manducasse. Illud itaque *Parasceve*, de quo Joannes, idcirco *Parasceve Pascha* dictum est, non quod in eo fieret præparatio ciborum Paschalium ; sed quod anno illo, quo passus est Christus, in ipsum diem Paschalis incidisset *Parasceve* ; resque tunc per subsequenti Sabbato præpararentur. Unde Marcus Cap. 15. ait : *Erat Parasceve, quod est ante Sabbatum :* non quod esse ante Pascha. Neque vero mirandum, quod illo ipso Paschalis die res ad subsequens Sabbatum Judæi præpararent. Quamquam enim Paschalis festivitas, ratione solennitatis, maxima omnium esset, in ea tamen præparare licebat, quæ ad cibos pertinerent : Unde Exodi 12. v. 16. de primo, & septimo die Azimorum, qui præ reliquis solemnes habebantur, dicitur, *Nihil operis facietis in eis, exceptis his, quæ ad vescendum pertinent :* quod tamen die Sabbathi præstare erat illicitum. Idcirco dies *Parasceve*, seu præparationis ad Sabbatum instituta erat : nulla tamen dies erat *Parasceve*, seu præparationis ad Pascha. In phrasi itaque Joannis, *Parasceve* ipsa dies Veneris est, seu feria sexta, quæ eo apud Judæos nomine vocabatur. In quam, cum illo anno festum Paschalis incidisset, *Parasceve Pasche* dicta est, eo plane modo, quo & *Dominica Pasche*, & *Dominica Pentecostes* dicuntur a nobis ; quia & in Dominicam Pascha, & in Dominicam incidit Pentecoste.

Nec in contrarium sensum Joannis dictum interpretatus est Augustinus, aut *Parasceve* Pasche, diem præparationis ad Pascha Judaicum intellexit, Tract. 117. in Joannem, & lib. 3. de Consensu Evangelistarum Cap. 13. ubi Christum in *Pasche* præparatione crucifixum dixit : sed rem agit toto Cælo diversam. Nimirum Joannem cum Marco, circa crucifixionis horam, conciliaturus ; quorum alter Christum hora tertia crucifixum scribit, alter hora quasi sexta : ( *Erat autem parasceve Pasche hora quasi sexta :* ) cum primum dixisset, hora tertia crucifixum fuisse Dominum linguis Judæorum, hora sexta manibus militum : Alteram quorundam solutionem subiungit : qui sextam parasceve horam a Joanne notatam dicunt, nempe præparationis mortis Christi Domini : ( *Parasceve enim præparationem quocumque Græce sonat :* ) non sextam illius diei horam, quæ *parasceve* antonomastice dicitur, quod in illa res præparantur ad Sabbatum. Quæ solutio quocumque tandem sit, nihil ad rem facit, quæ nobis in manibus est. Quid enim refert, quod Christus mortuus aseratur, hora sexta præparationis ad ejus immolationem & mortem, quæ Christianorum Pascha ab Apostolo dicta est, I. Cor. 5. modo ne Crucifixus concedatur, hora sexta diei, qua



judiciumque in illum exercere: quia, ut est apud R. Moysem Maimonidem lib. *Hikot Sanbedrin* Cap. 11. *Judices verum capitalium non judicant in die Parasceve Sabbati, aut die festo.* Quod sane perperam est excogitatum. Quamquam enim secundum leges, & consuetudines suas, Christum Judæi ipso Paschatis die judicare fortasse non possent, quod hic expendere nolim: quod tamen factum attinet, ipsa Evangeliorum Historia satis ostendit, nihil illis in Christi capite judicando, minus curæ fuisse, quam ut rite, & secundum jura, probatasque consuetudines judicia fierent. Etenim & juxta *Massabet Sanbedrin* Cap. 4. *Judæi judicia capitalia transgunt interdum, & finiunt interdum: & tamen totam noctem in Christi judicando capite contrivere; eundemque profunda, & concubia nocte ad Annam, & Caipham deduxerunt, nec nisi oborto sole ad Pilatum Præsidentem rapuerunt.* Adeo Christi causa secundum leges, & consuetudines Judæorum tractata non est. Certe Christum alias in ipso Encaniorum festo, ut est apud Joannem Cap. 10., & in festo Tabernaculorum, ut legitur Cap. 8., lapidibus obruere conati sunt, nihil tantorum festorum religione prohibente: quid ergo mirabimur, quod oblata demum occasione, eundem in solemnitate Paschali judicaverint, crucifixerint? Maxime cum violatæ solemnitatis excusationem obtendere possent; quod non ipsi per sese judicarent Christum, crucifigerentque; sed e Gentilibus judicari & crucifigi procurarent? Adde, Christum in manus Judæorum a Juda proditore non fuisse traditum, nisi peracta jam Cœna, adeoque cœpta jam solemnitate Paschali: quo tempore differri nequibat, utpote quæ jam a nobiliori sui parte exordium habuisset. Ac si forte nefario tunc intenti facinorari, celebrare die illa nequissent, ob contractam scilicet immunditiam: non in sequentem proximam diem transtulissent, ut isti quidem effutunt; sed ad lunam decimam quartam Mensis sequentis: juxta legem in Numeris latam Cap. 9. v. 10. de qua in superiori Exercitatione sæpe diximus.

IV. Demum distulisse Judæos, contendit Gerhardus Vossius *Differ. 2. de tem. passionis* §. 14. aliique cum illo, propterea quod aliam a Christo Domino, computandæ diei Paschalis rationem iniisset. Quod ita factum exponit vir alias eruditissimus: *Legimus apud Antiquos, quomodo Judæi, ante recepto Cæsaris festo, observarint veros Lune motus, & Noemias attendiderint: & sic, si ve a visione ejus prima: factis vero iis ex Augusti mandato receptis, numerarint secundum medios Lune motus, & Syderis utriusque exitus. Quippe Julius Cæsar Equinoctium, quod ante a Judæis tertio Aprilis die statuebatur, fixerat in vigesima quinta die Martii. Quoties igitur decimaquarta Luna primi Mensis præverteret Equinoctium, Paschalem diem non agebant festum; sed expectabant, donec foret Equinoctium, & post illud demum, hoc est, simul ac Sol signum Arietis ingredi cepisset, Pascha comederant. Christus proinde ex lege Mosaica observavit vespere diei decime quartæ Nisan: sed Judæi proceres, quia tum nondum foret Equinoctium, distulere in diem proximum: ut ita post Equinoctium festum agerent diem Paschalis secundum consuetudinem ceptam, ex quo annum more Romano computarent.* Atque hinc mire eluxisse divinam providentiam, subjungit Vossius, quod, cum alio die Christus, alio proceres Judæi Pascha celebrarent; ita factum sit, ut qua die typicus Agnus immolandum erat ex lege Mosaica, verus Agnus mactatus fuerit a Judæis, atque ita veritas typo optime responderit.

Egregie scilicet dictum, at nihil hic a Vossio probatum video. Probandum Vossio, ejusque gre-

galibus esset, Judæos jam tum a Christi Domini ætate, Cæsaris factos recepisse; eamque consuetudinem Anni more Romano computandi ea jam ætate tenuisse: quod illi non modo non probant, sed constat insuper esse falsissimum. Secundum enim hanc computandi rationem, quæ post everfam Jerosolymam per multa jam sæcula apud Judæos obtinuit; nunquam Pascha incidit in secundam, quartam, & sextam feriam: ut ex illorum canonibus liquet, ipsoque experimento probatum habent. Aben Ezra autem in Commentario in Exodum Cap. 23. ingenue fatetur, *In Misna, & in Thalmude exempla haberi, quibus probari potest, Pascha incidisse in secundam, quartam, & sextam feriam.* Nondum itaque Christo in terris agente, imo nec tunc primum, dum consancinari ceptum est Thalmud, & computandi diei Paschalis ratio apud Judæos obtinebat. Probandum pariter Vossio esset, quod anno passus est Christus, decimam quartam Lunam primi mensis, ad cuius vespeream Christum Dominum Pascha ex Lege comedisse fatetur, Equinoctium prævertisse, quæ res Judæis differendi Paschalis causa fuerit. Quod tamen nec probat ille, nec ullus unquam certo probat Astronomus. Quamquam enim ex Syderalis scientiæ legibus, certisque Lunæ, ac Solis motibus diligentissime observatis, reducto ordine retrogrado Calendario, retere certo possit, in quam Lunæ diem singulis annis per omnia retro sæcula incidit Equinoctium; incertum tamen est sæcula annus, quo passus est Christus, ut suo probabimus loco, quo ex uno tantum primo fundamento, tota computationis ratio pender.

Quod demum subjungit Vossius, Christo Domino ad primas Paschalis vespere, ut ipse quidem existimat, mortuo, factum esse, ut qua die typicus agnus a Judæis mactandus erat, verus agnus in cruce oblatu fuerit a Judæis; atque ita veritas optime typo responderit: id inquam non admodum urget: Quia rationes ille omnes, extyporum cum veritate consonantia petita, rem quidem, si fiat, congruentem ostendunt; factam nihilominus non evincunt, cum veritatem typo in omnibus ac per omnia respondere, necesse non sit; in minutis potissimum circumstantiis, & adjunctis. Alias vix ullam veteris Testamenti figuram impletam haberemus in novo. Satis ergo ad præsens veritas typo ( quantum necesse est ) respondet, si in hac ipsa festivitate Paschali, qua typicus agnus mactandus edendusque erat, Christus verus agnus in cruce fuerit immolatus, est non eadem festivæ diei hora, utriusque mactatio facta sit. Typicus enim, ad primas Paschalis Vespere, hora post meridiem tertia, ac sole jam in occasum inclinante mactari solitus erat; at sole plane occiduo mactandus debebat: ut est apud Josephum lib. 7. de Bello Judaico Cap. 17. verus autem agnus, hora diei quasi sexta, seu ad meridiem, in Crucem est actus, & hora ejusdem nocte extinctus.

Si quis tamen strictiorem, veritatis cum figura, Christi cum agno paschali, analogiam & consonantiam velit, quoad ipsum etiam mactationis & manducationis tempus; non unam sed geminam dabimus: Dicemusque, Christum hac ipsa prima Paschalis vespere, qua typicus agnus immolabatur & edebatur, ad mortem fuisse traditum a Discipulo proditore, fuisse comprehensum, funibus ligatum, raptumque ad tribunal: atque ita cepisse jam tunc mactari, & quodammodo mori: est posthac tantum in Crucem sit actus, ac in illa extinctus. Aut certe, Christum Dominum, figuratæ mactationis tempus aliquantulum protraxisse; ut vel hoc pacto significaret, figuram ad finem

finem tandem esse perductam; veritatemque supra figuram ipsam, permanentem ac duraturam: legique veteri novam tandem successisse; cujus idecirco novus agnus immolabatur, non Judaico die, sed novo. Quæ Cardinalis Toleti ingeniosa observatio est, Annot. 5. in Cap. 13. Joannis.

V. Quæ eum ita sint, illud profecto relinquatur, tam non distulisse Judæos in diem alteram Pascha suum, quo anno passus est Christus, quam nec ipse præverterat: sed una profusus, eademque die, juxta Mosaicæ Legis edictum, celebrasse universos. Quod & verbis disertissimis Marcus affirmat, quæ refractariolis ingeniis coercendis sola fuissent, nisi impatienti novandi prurigne laborarent: *Prima die Azimorum, quando Pascha immolabant Judæi, dicunt ei Discipuli: Quo vis eamus, & paremus tibi, ut manduces Pascha? Et abierunt Discipuli ejus, & venerunt in Civitatem, & invenerunt, sicut dixerat illis, & paraverunt Pascha.* Cap. 14. v. 12., & 16.

Quid ergo, inquires, D. Augustinus Tractatu 120 in Joannem Judæos Christi in Crucem extincti sepulturam accelerasse ait, ut hac ipsa vespere puram cœnam edere possent? Quid pura illa cœna, nisi agni paschalis? Agnum itaque paschalem edendum distulerant ad vespeream illam, cum Christus fuisset tumulo datus. Minime gentium; nec id quidem effutit Augustinus. En tibi sanctissimi Patris verba, a Baronio perperam intellecta: *Accelerata est sepultura, ne advesperasceret: quando jam proper parascevem, quam cœnam puram Judæi latine usitatus apud nos vocant, facere tale aliquid non licebat.* Nihil hic de Cœna paschali a Judæis ad vespeream parcesves edenda, loquitur Augustinus: sed parascevem generatim a Judæis Cœnam puram vocari solitam dicit: quod ante illum dixerat Irenæus lib. 1. contra Hæreses Cap. 20. *Parasceve, quæ dicitur Cœna pura, id est, sexta feria:* Quia Judæi sub Vespere parasceves, & incipientem jam Sabbatho, solemnem aliquam cœnam edere soliti erant; quam & puram idecirco vocant, quod occasione adorientis solemnitate, religiose sumeretur. Christi itaque sepulturam Judæi accelerarunt, quia inclinante ad finem parasceve, solita illa Cœna pura sumenda illis erat; Sabbathumque imminente, quo jam mortuos sepelire nefas erat. Quid hic porro ad præsentem, de dilata a Judæis solemnitate paschali, controversiam dirimendam?

VI. Agum jam reagere videar, eamdemque te lam novo labore redordiri, si inveciam olim sæculo nono, ac tum nuper quasi e cineribus excitatam quorundam opinionem resellere aggrediar; ( vide Photium in Biblioth. Cod. 115., & 116. ) qui Christum dicunt, missa profusus, ac minime celebrata Judaica Cœna, Agnoque Paschali cum suis minime comesto, Christianam dumtaxat Cœnam Corporis sui consecratione, atque distributione peregrisse. Portentosum sane commentum! De quo ergo Paschate, nisi legali, locus est Christus, ubi Domino domus nunciari jussit Matth. 26. v. 18. *Apud te facio Pascha cum Discipulis meis:* & Marci 14. v. 4. *Ubi est vesctio mea, ut Pascha cum Discipulis meis manducem?* Nec enim quid sibi Christus vellet, intellexisset ille, si de instituta apud ipsum Eucharistia dixisset. Sed & Christus Eucharistiam instituit, eamdem Augustino iudice minime manducavit, sed sumendam Discipulis dedit: cum tamen de Paschate a se manducando renunciari jussisset Domino domus. Cui accedit & istud: Christum Dominum illam maxime Cœnam cum Discipulis manducasse, quam, jubente illo, Discipuli paraverunt, ut est apud Mattheum Cap. 26. v. 19. *Fecerunt Discipuli, sicut constituit illis Jesus.* Tom. III.

*Et paraverunt Pascha,* utique manducandum: at certo certius est, Discipulos Cœnam parasse Judaicam, Agnum scilicet, Pascha antonomastice dictum; Eucharistiam enim, nec noverant tunc, ut pararent, nec ab ipsis paranda erat: Judaicum igitur cum Discipulis Pascha comedit; nec nisi illo comesto, Eucharistiam instituit. Quid quod Christus ipse inter cenandum, illud se pascha manducare significavit, quod paravere Discipuli, Lucæ 22. v. 13. *Euntes invenerunt sicut dixit illis, & paraverunt Pascha. Et cum facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo: & ait illis, desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar: & quidem nondum ab ipso instituta Eucharistia. Imò nec satis apud Theologos constat, num suum ipse Christus pascha comederit, corpusque suum sub speciebus Eucharisticis sumpserit. Judaicum itaque Pascha sine controversia comedit. Sed quid ultra opus est verbis; cum mole sua jam ruat male natum, auidque commentum, disjectis hæcenus, dirutisque momentis omnibus, quibus a suis nunc defensoribus superstruitur? Non alla quippe de causa factum putant; ut Judaicum Pascha Christus omittet anno illo, quam quia illum non in Paschate ipso, sed in Paschatis pervigilio Cruci suffragium existimant: quo tempore, cum nondum illi celebrandi Judaici Paschalis incumberet obligatio; non illud quidem celebravit, sed suum dumtaxat instituit. Quod cum superiori prælectione falsissimum esse probaverimus, varique Evangelii loca ad id evincendum, a Græcis olim male detorta, plano, rectissimoque sensui reddiderimus ut sunt illa ab iis toties decantata, Joannis Cap. 13. v. 1. & 29. Cap. 18. v. 28. Cap. 19. v. 14. & 31. Marth. Cap. 26. v. 5. Marci Cap. 15. v. 46. non est cur eversum jam, prostratumque systema novis conatibus impetamus. Nonnullas dumtaxat consideraciones adjiciam, ad temerariæ, audacisque sententia periculum ostendendum: ne ea ad novitatem prona ingenia rapiantur.*

Primo, ingentes systema illud addere vires, auctoritatemque conciliare longe gravissimam Græcorum Discipulorum, Eucharistiam non in azimo, sed in fermentato celebrantium. Si enim Christus suam unice Cœnam Corporis sui consecratione celebravit, non Judaicam; idque quæ die nullus adhuc Judæis azimorum est usus: Eucharistiam ergo non in azimo, sed in fermentato vobis procul instituit. Atque ita Græcorum in fermentato celebrantium Disciplina, Christi Domini firmatur exemplo.

Secundo, publicæ Ecclesie professioni repugnare systema illud. Ea quippe duplicem nocte illa a Christo Domino celebratam Cœnam agnoscit; Judaicam primum, tum Christianam: aut, si mavis, binas ejusdem Cœnæ Dominicæ partes, interjecta pedum lotionem, ciborumque diversitate distinctas: illam quidem, qua Agnum, & Azima cum Discipulis manducavit; istam, qua Corpus suum in cibum obtulit: illam, qua Mosaicam Legem implevit; istam, qua novum coadidit Testamentum. Sic enim sessione 22. Concilii Tridentini, qua Doctrina de Sacrificio Missæ traditur, pronunciat Ecclesia Cap. 1. *Christus in Cœna novissima, qua nocte tradebatur, celebrato veteri Pascha, quod in memoria exitus de Agypto, multitudine filiorum immolabat, novum instituit Pascha.* Ridendi quippe qui dicunt, ( ne tam deserto testimonio victi videantur ) celebrati a Christo veteris Paschalis nomine, panes azimos tantum, quos Christus tunc comederit, Sacram Synodum intellexisse, non agnum. Illud enim Pascha Sacra Synodus intellexit; quod *Filius Israel immolabat:* quis autem panes azimos immolatos somniavit unquam, ac non potius agnum? Ecce

cur etiam Christus panes azimos comedit, si agnum, ut fingitur, non comedit; cum eorum comestio istius tantum appendix esset, ac veluti consecrarium? At ecce Legem veterem impletam ex integro, agnumque simul & azima comestum a Christo, datumque Discipulis, canit Ecclesia, in sacris precum officiis, ut cavillari desinant nungivendi.

In supreme nocte Cœna  
Recumbens cum fratribus,  
Observata Lege plene  
Cibus in legalibus,  
Cibum turba duodena  
Se dat suis manibus.

Et rursum:

Noctis recolitur Cœna novissima,  
Qua Christus creditur Agnum, & Azima  
Dedit fratribus, juxta legitimam  
Præsentia indulta Patribus.

Post Agnum typicum, expletis epulis,  
Corpus Dominicum datum Discipulis:  
Sic totum omnibus, quod totum singulis,  
Ejus statuerit manibus.

Neque excipere juvat, Doctoris Angelici hymnos illos esse, quibus suam ille de gemina Cœna sententiam expressit: nec summa semper auctoritate pollere, quæ in sacris precum officiis in Ecclesia recitantur. Ex quo enim Doctoris Angelici lucubrationem adoptavit Ecclesia; illius quoque sententiam in eadem expressam, fecit suam. Neque mera facti historici quæstio ista est: quia in genere nonnulla quandoque minus certa in quibus Ecclesiæ preces irrepserit, non ignoramus; sed quid dogmatis habet admixtum, ex Sacrarum Scripturarum intelligentia pendens, & ad Ecclesiasticæ Disciplina puritatem asserendam apprime conducens. Hinc & Photius Cod. 116. relata quorundam Anonymorum opinione, qui Christum Pascha Judaicum, quo anno mortuus est, omnino prætermisisse, effutiebant; illudque solum celebrasse contendebant, quod instituit ipse, novum videlicet, pro veteri; Ecclesiæ Catholicæ sententiam Novatoribus opponit: *Ecclesiæ*, inquit, docet, tunc Christum legitimam Pascha percussisse, antequam mysticam institueret Cœnam. Hanc itaque Ecclesiæ professionem esse, quis neget?

Tertio observari maxime velim, hoc idem systema, universæ Patrum Traditioni repugnare; quos inter nequidem inventus est unus, qui Christum Paschale Agnum in ultima Cœna comeditisse sit inficiatus; qui hoc idem extra omnem dubitationis aleam non posuerit, utpote Sacris in Litteris luculenter expressum. Legendi præ cæteris veniunt, Origenes Tract. 35., & S. Joannes Chrysost. Homil. 82. in Matth. S. Hieronymus in Cap. 26. Matth. ad v. 26. Cyrillus, Theodoretus, Eusebius, Beda a Divo Thoma laudati in Cat. ad Cap. 22. Luca v. 15. & S. Epiphanius Hæresi 30. ubi hoc ipso Christi Domini Paschalem Agnum edentis exemplo, tanquam inconcusso principio, licitum carniem esum ostendit adversus Ebionitas. Quomodo, inquit, de esu carniem non statim ipsorum dementia redarguetur? Primum quidem Domino edente Pascha Judæorum. Pascha autem Judæorum Agnus erat, & Azima, hoc est, panes non fermentati, & edebantur carnes agnæ igne assatæ: velut etiam Discipuli ejus dicunt, Ubi vis, ut paremus tibi, ut edas Pascha? Rursus autem ipse Dominus ait: Desiderio desideravi hoc Pascha comedere vobiscum. Et non dixit simpliciter Pascha, sed hoc Pascha, ut ne quis ad suam rapiat opinionem. Pascha autem erat, velut dixi, carnes assatæ igne, & alia. &c. Quod vero a nonnullis temerario, & audaci illo systemate captis obtrudi video, (ne Patrum suffragia cætere videantur,) dixisse alicubi Augustinum,

Christum non fecisse, seu comeditisse Pascha, sed fuisse; adeo futile est, ut nihil magis. De Paschate etenim Christianorum locutus est Augustinus, non de Paschate Judæorum, de quo nobis hic quæstio est. Judæorum etenim Pascha Agnus est immolatus, edendisque cum Azimis, & lactucis aggregatis: idque profecto fecit Christus, seu comedit ritu Judaico. Unde & ait Matthæi 26. v. 18. Apud te facio Pascha cum Discipulis meis: Marci 14. v. 14. Ubi est refectio mea, ut Pascha cum Discipulis meis manducem? Luca 22. v. 15. Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar. At Christianorum Pascha ipsemet Christus est in Ara Crucis immolatus, juxta Apostoli dictum I. Cor. 5. Pascha nostrum immolatus est Christus: & hoc certe Pascha non fecit ille, nec edit, Augustino iudice, sed fuit; quamquam seipsum sub signis visibilibus manducandum Discipulis dederit. Augustinus itaque verbis ab adversa parte citatis, si tamen genuina illa sunt, ac non potius afficta, id unum sibi voluit, quod veteres nonnulli Theologi, quos obito indicat D. Thomas, 3. part. quæst. 82. art. 2. posuere: Christum scilicet Corpus suum, & Sanguinem consecratum minime fumpisse, sed fumendum dumtaxat Apostolis tradidisse: de Paschate vero Judaico, seu de Agno Paschali nihil hic habet. De reliquo Augustinum, Pascha Judaicum a Christo hæc ultima Cœna comestum agnovisse, ex ejus Epistola 86. liquet aperte. Ideo enim comestum negant Novatores, quod nondum illius edendi tempus advenisset: contra vero advenisse pronunciat Augustinus: *Qua Cœna*, inquit, *incipiatur azimum, & Ovis immolatus manducari.*

Quod etiam a nupero portentosus illius systematis defensor jactatum initio fuerat, D. Petrum Alexandrinum, in Præfatione Chronici Paschalis, seu Alexandrini, nuperime a Carolo du Cange publicati, illud idem acerrime propugnasse; veterumque Patrum, Clementis Alexandrini, Apollinaris Hieropolitani, Hypolitii Portuensis auctoritate confirmasse: id inquam sibilis ac risu ab eruditissimis universis exceptum est: quibus certo liquet, Præfationis illius, ex variis Hieronymi Scripturarum centonibus confarinate Auctorem, nec esse, nec esse posse, Magnum illum Petrum Alexandrinum, anno 311. Martyrio functum: cum Scriptores laudet, variaque gesta narret, ætate illa longe posteriora. Prolata vero illic Clementis, Apollinaris, Hypolitii testimonia non extant, solaque referentis fide nituntur, lubrica certe, ac plane nulla. Quibus motus clarissimus Chronici publicator Carolus du Cange, hanc miseræ huic lasciviam notam appinxit ad marginem, *falsa sunt ista*. Quare id certum indubitatumque, Patrum ex tota retro antiquitate plane neminem, novo systemati suffragari. Patribus autem summo consensu statuentibus, Christum Dominum Judaicam Cœnam, seu Agnum Paschalem in mortis pervigilio manducasse, Divinasque Scripturas in eum sensum interpretantibus; ingentis audaciæ, ac petulantia est, oppositum statueri velle, Sacrasque Scripturas in contrarium sensum inflectere. Sic sane in Concilio Tridentini Decretum impingitur, Sess. 4. Ad coercenda petulantia ingenia, docerunt sancta Synodus, ut nemo sine prudentia in rebus Fidei, & morum ad edificationem Doctrinæ Christianæ pertinentem, Sacram Scripturam ad suos sensus consergentem, contra eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta Mater Ecclesia; aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat.

Quarto, ultimoque considerandum relinquo, Hieronymum Vecchietum, quod Systema illud libello edito propugnasset, supremorum Fidei Quæstorum

storum judicium subisse, in carceres, & vincula coniectum ad multos annos: ejusque sententiam summis Judicibus visam esse contra Sacrarum Litterarum fidem, contra Ecclesiæ universæ auctoritatem, contra Sanctorum Patrum Doctrinam assertam. Unde & effectum est, ut eam summi Scholæ Magistri tamquam plane hæreticam impugnant. Num id noverit, qui eo nunc systemate delectantur, haud satis scio: ut noscant tamen, ac sibi caveant, legant Jani Nicii Erythraei historicam narrationem, par. 1. Pinacothecæ Virorum illustrium pag. 196., qua male mulctatum Hieronymum refert: legant Franciscum Suarezium in Comment. ad 3. partem D. Thomæ, quæst. 50. art. 6. sect. 3. cujus hæc verba sunt: *Statuendum primo est, Christum Dominum ante passionem suam, legalem Cœnam cum Discipulis celebrasse: Agnumque Paschalem ritu Judaico immolasse, & comeditisse. Quæ res tam aperta est in Evangelistis, ut mirum sit, non desuisse hoc tempore Hæreticos, qui eam negarent. . . . Hæc sententia est plane hæretica.* A qua tamen censura interim abstinemus, donec differtur ea de re, judicium Ecclesiæ Catholicæ pronunciatum. Sed de die peractæ Cœnæ, ejusdemque conditione satis hæreticus: pergendum ad reliqua, quæ Cœnæ hujus occasione tractanda suscepimus.

VII. Altera, quæ de Commensalibus cum Christo Domino regubentibus quæstio vertitur, Ecclesiæ Patres dubios tenet, & anxios. Cum enim duplicem Cœnam hoc ipso vespere fecerit Christus, Judaicam unam, Christianam alteram: priorem, qua Agnum Paschalem Mosaicæ ritu comedit; alteram, qua Eucharistiæ Sacramentum instituit; interjecto etiam inter utramque lotionis pedum intervallo: quod Joannes Cap. 13. v. 2. 4., & 12. distincte notat; idcirco priori quidem Cœnæ omnes accubuisse Discipulos, fateatur Ecclesiæ Patres universi: id enim Matthæus, Marcus, & Lucas observant: non omnes tamen posteriori mensæ accubuisse, nec Domini Corporis, Sanguinisque fuisse participes, opinati sunt bene multi: S. Hilarius, & Theophylactus in Comment. ad Cap. 26. Matthæi, Rupertus lib. 10. in Matthæum, Innocentius III. lib. 4. de Mysterio Eucharistiæ, Cap. 13. Auctor Constitutionum Apostolicarum lib. 5. Cap. 16. qui Judam proditorem ab Eucharistica communione segregem faciunt, cujus erat proflus indignus. Fatendum tamen, priorem sententiam, & Patrum auctoritate vincere, & ratione. Auctoritate, inquam, quia assertores habet Origenem, Cyrillum utrumque, Chrysostomum, Cyrilianum, Ambrosium, Hieronymum, Leonem, Augustinum, Bedam, Bernardum, & D. Thomam. Ratione quoque vincit ea sententia, & quidem quadruplici ex Sacro Evangelio petita.

Constat enim in primis Christum Eucharistiam sumendam porrexisse omnibus mensæ tunc sue discumbentibus: unde de Calice ait Marcus Cap. 14. *Biberunt ex eo omnes*. Constat perinde, Judam nondum tunc de mensa, ac de Cœnaculo discessisse, dum Eucharistiam Christus Dominus porrigebat: quandoquidem ea jam porrecta, ac distributa dixit Christus, unum e discumbentibus sui esse proditorem, Joan. Cap. 13. v. 21. & 26. Igitur & Judas Eucharistiam accepit. Ex Luca perinde habemus, Christum post Calicis consecrationem illico subjecisse: *Veruntamen ecce manus tradentis memorem est in mensa*, Cap. 22. v. 21. erat igitur ibi tunc Traditor: Sed ante Calicis consecrationem, jam Corpus consecratum omnibus adstantibus distribuerat: distribuerat itaque Judæ illic adhuc adstanti. Ex Actibus etiam Apostolicis Cap. 1. liquet, Judam fuisse cum cæteris Apostolis creatum Sacerdotem, atque Episcopum: de eo enim dictum illud Psalmistæ 108. Petrus interpretatur, *Episcopus Serry Tom. III.*

patrum ejus accipiat aliter: Apostolos autem Sacerdotes, & Episcopos creavit Christus, dum dixit eis, *Hoc facite in meam commemorationem*, uti declarat Synodus Tridentina: quod iis tantum dixit, quibus Eucharistiam porrexit. Perspectum tandem est, Christum Dominum facta Cœna Judaica, seu legali, ante Cœnam Eucharisticam, Discipulorum lavasse pedes, tanquam præviâ dispositionem, seu præparationem ad Eucharistiæ susceptionem. Lavasse autem etiam Judæ proditori pedes, perspectum est, ex Cap. 13. Joan. v. 10. ubi pedes Discipulis lavans dixisse fertur, *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus*: & vos mundi estis, sed non omnes: sciebat enim quisnam esset, qui traderet eum: propterea dixit, non estis mundi omnes. Igitur Judas quoque Eucharistiam accepit. Sed & hoc ipsum Catholica proficitur Ecclesiæ sacro illo hymno, quem inter media sacra folia esse recitare, festo die Corporis Christi Eucharistici: *Panis vitæ, & vitæ hodie proponitur, quem in Sacra mensa Cœnæ turba fratrum duodena datum non ambigitur*: Turba enim duodena non esset, nisi & huic Judas accenseretur.

De Juda proditore sacra mensæ accubente somnium narrat Agridentis Abbatissa S. de ultima Cœna, nemini unquam visum, auditumque: *Virginem Deiparam illic non longe positam, cum sacrilegum proditoris consilium, de tradendo Judaico Dominico corpore internovisset, exceptam ore speciem Eucharisticam, missis Angelis, absulisse vi atque imperio; purgatamque in paropside reposuisse*. Id quis credat? Si sic est, errarunt quotquot Ecclesiæ Patres, Judam non secus ac cæteros Apostolos, Eucharistico pane refectum, illiusque participem factum docere. Refectus enim, factusque participes dici nequit, cui buccella extremis labris excepta, vi atque imperio ablata est. Erravit & Marcus, qui omnes sacra mensæ accubentes, ex Calice bibisse distinctissime notat: *Biberunt ex eo omnes*, Cap. 14. v. 23. Namque corpus vere comeditisse Judam oportuit, qui sanguinem bibit. Imo si sic est, imprudens zelo excessit Virgo Deipara, egitque contra filii voluntatem; qui tamen sacrilegum proditoris mentem, non secus ac ipsa, imo certius ipsa, perfectam haberet, datum omnibus Eucharisticum panem, non ore tantum excipi, sed & comedi jufferat: *Accipite & comedite, hoc est corpus meum*. Quid Mater contra hincere, quid contra mandare, effi quid animo Judas volveret, divinitus intellexisset? Certe non esse peccatori occulto denegandam communionem Eucharisticam, communiter docent Patres, probantque exemplo Christi Domini, qui Judam licet insignem peccatorem certo sciret, sui tamen corporis in ultima cœna participem fecit. Qua de re extat elegantissima D. Augustini ad Eleusium Epistola, olim quidem 162. nunc vero 43. Quid ni quæso, si qua Abbatissæ fides est, contrarium Deiparæ Virginis exemplo decernimus; quæ traditori Apostolo, cujus nefarium consilium divinitus non erat, Eucharisticum panem ex ipso ore sacrilego, per submissos Angelos, extrahi jussit, & sacra communione privari?

VIII. Alios, præter Apostolos, Christum Domino commensales adituit hoc ipso citato paragrafo: Henochum videlicet & Eliam, in Cœnaculum per Angelos volente Domino deportatos; ac per Petrum, Christo jubente, Eucharistico pane refectos; ut ea felicitatis æternæ accepta promulside, longam futuræ resurrectionis moram patienti animo ferant. Hoc ne visum vigilans viderit pia Soror, aut dormiens somniarier, haud satis scio: illud tamen certum, non falsi tantum ex Scripturarum Patrumque factum revidet.